



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina
Ecclesiae Oeconomia**

Bonald, François

Coloniae, 1611

XXXIX. De antiquitate officij, & precu[m] Ecclesiasticarum, earumq[ue]
vtilitate ac valore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

tur: Secundo in officio Missæ, quod solemniter, aut minus solemniter recitatur. Sunt autem hæc duò singulis festis, ita propria & proportionata, vt mirum non sit, si ab initio Ecclesiæ in vsu fuerint. De Missa supra vidimus; nunc de horis canonicis non sine Christiani lectoris commodo, & fructu, vt quidem spero, videamus.

CAPVT TRIGESIMVM
NONVM.

De antiquitate Officij, & precum Ecclesiasticarum, earumque utilitate ac valore.

NOtissimum est in Ecclesia esse aliquas determinatas preces, quæ certis diei & noctis horis recitentur: non tamen omnibus æquè notum est, ob quam causam, & quando harum vsus coeperit. Sciendum itaque est eas principium ducere ab Apostolorum tempore, vt scribit Ambrosius. & ex Apostolo, ita loquente colligitur: *Obsecro igitur primū omnium fieri obsecratio-*

Ambr. in

c. 11. ad

Corinth.

1. Timoth.

2.

T S

nes,

nes, orationes, postulationes, gratiarum
 actiones: Hæc enim Christianis publi-
 cè congregatis fiebant, vt docet Ter-
 tull. Ideoque monet Ignatius Chris-
 tianis, vt sedulo eiusmodi congregati-
 onibus intersint. Fuerunt itaque ab in-
 itio certæ aliquæ preces publicè re-
 citandæ, quod summè expediuisse, ma-
 nifesta ratio persuadet; cum enim nõ
 sit vniuscuiusq; dies festos determina-
 re, vt præced. capite demonstraui-
 mus; ita neque publicas preces & ora-
 tiones, diuinas laudes, & gratiarum
 actiones præscribere; Oportet enim
 hanc determinationem ab ijs proce-
 dere, qui à Spiritu Dei reguntur; alias
 enim contingere posset, quod nesci-
 tes quid petamus, aut indebito modo
 rogantes, nihil impetremus, & petiti-
 one nostra frustreremur. Iterum cum
 in orationibus, & gratiarum actioni-
 bus publicè persoluendis, oporteat
 conformitatem esse; & hæc ipsa obti-
 neri non posset, nisi à publicis perso-
 nis, & authoritatē habentibus certæ
 preces determinentur; ideo Ecclesia à
 primis suis incunabulis, has preces
 determinauit.

Tertull. l.
 2. c. 4. ad
 Vxorem.
 Ignat. ep.
 C.

August.
 Tract.
 77. in Ioã.
 Iacob. 4.

Ordina

Ordinavit itaque, vt qui has preces
peracturi essent, nocte dieque decur-
rentibus spatijs septies interea tem-
poris ad pensum suum persoluendum
conuenirent, scilicet, Media nocte,
Hora prima, Tertia, Sexta, Nona, tem-
pore Vesperarum, & completorij: Et
in his Apostolos, Prophetas, & ipsum
Christum imitata est Ecclesia. Na Da-
uid canit, *Septies in die laudem dixi ti-
bi: & noctem specificans ait, Media
nocte surgebam ad confitendum tibi: Isai-
as quoque de nocte se orare solitum
significat, cum ait, Anima mea deside-
rauit te in nocte.* De Apostolis idem
colligit Basilus ex Actis, vbi habe-
bemus Paulum & Sylam de nocte
DEVM laudasse. CHRISTVM
autem totas noctes pene insomnes
egisse ex Matthæi, & Lucæ Euan-
gelijs constat. De horis autem diei,
quæ publicis precibus destinatae e-
rant, videri poterunt antiqui Pa-
tres, ex quibus facile colligas, 34.,
quam diu hunc ritum precandi Ec-
clesia obseruauit. Harum horarum
meminerunt Clemens Romanus, &

Hieron.
in c. 25.
Matth.

Isai. 26.
Basil. Ser.
de Instit.
Mona.
Act. 16.

Luc. 6.
Matt. 26.

Clem. 1.8.
constit. c.

T 6

Hieron.

Hier. ep. Hieron. nominatim autem Prima
22. ad Eu- Tertiam, Sextam, & Nonam Hieron.
fuch, cum Cypriano ex Actis Apostolorum
Cypr. de deducunt; ibi enim legimus Spiritum
orat. Do- sanctum hora Tertia in Apostolos de-
min. scendisse dum orationibus vacaret.
Act. 2. Petrum autem & Iohannem ascendisse
Act. 3. in templum ad horam orationis No-
ibid. 10. nam; Petrum verò in domo Simonis
Basil. vbi Coriarij orasse hora sexta. Vesperas
supr. autem S. Basilius horis canonicis an-
Psal. 54. numerat, eisque authoritatem mutua-
Ambr. in tur ex illo Psalmista, *Vespere & mane,*
Psal. 118. *& meridie narrabo, & annuntiabo &*
Isid. de *exaudiet vocem meam.* Idem etiam me-
offic. c. 21. minit Completorij, & post eum Am-
 brof. Isidor. & alij.
Basil. sup. Sed dicet aliquis cur hæc hora pecu-
in Reg. liariter publicis precibus, & diuinis
fusus di- laudibus deputantur? Audiatur Basili-
pu. Inter. um respondentem ad imitationem
17. Regij Prophete, qui septies in die ora-
 bat, id factum esse, ac vt singulis diei
 conuersionibus nos ad Dei laudem
 conuerteremus, & precum vicissitu-
 dine, maiore in Deum deuotione ac-
 cenderemur: deinde id factum est, vt
 diuinæ volūtati satisfaceret, quæ dicit,
 semper,

semper, id est, tam frequenter, ac quis-
piam potest orandum esse: Denique, *Hier. sup.*
vt docet Hieronymus, ita hæ horæ di-
stributæ sunt, vt Ecclesiæ Prælatos sui
officij cõmunefaciant, & populus, qui-
bus tẽporib. sacerdoti precaturo assi-
stendum sit, sciat. Atque hæ sunt ratio-
nes morales, quæ pro distinctione ho-
rorum allegari possunt.

De mysticis autem dicunt Clem. *Clem. l. 2.*
Athanas. & Cypr. has horas, ita esse di- *constit.*
stributas, vt Dominicam Passionem *Athanas. de*
repræsentarent. In particulari autem *Virg.*
dico Matutinum nobis repræsentare *Cypr. vbi*
noctem illam, qua Christus vincetus, *supr.*
& constrictus est: Prima, quomodo il-
lusus & sputo coopertus: Tertia, quo-
modo cõdẽnatus: Sexta, quomodo cru-
cifixus: Nona, quomodo latus cõfossus:
Vesperæ, quomodo à cruce depositus:
completoriũ, quomodo sepultus.

Qui plures mysticationes desiderat,
eos consulat, qui expresse de his rebus
agunt.

Ego autem obiter aliqua de cantu,
& musica adijciam, ne ex toto rem cõ-
sideratione dignissimam, præterijffe
videar. Dico itaque in veteri lege mo-

rem fuisse Deum laudandi, non viua tantum voce, sed etiam organis, alijsque instrumentis, cuius rei infinita in scripturis sunt testimonia, ait David frequenter, *cantate Domino & Laudate Dominum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo*; ideoque etiam ipse cecinit, & in decachordo lusit. filius autem eius Salomon in templo à se ædificato, plurimos cantores & cantratrices instituit, quæ diuinas laudes celebrarēt: Vnde etiam à ratione aliorum non est, quod in nouo testamento, & Ecclesia Christiana, quidam certi in cantores determinentur, qui diuinas laudes decantent, eiusque beneficia nobis collata celebrent; tum hæc multo maiora & præstantiora sint, quam illa quæ Synagoga Iudeorum contulit: Ideoque primitiuæ Ecclesiæ Patribus consultum visum fuit, vt cantus in Ecclesiam introduceretur.

Scribit Socrates S. Ignatium diuinitus fuisse inspiratum, vt cantum in Ecclesia institueret: Iustinus quoque Philonem secutus ait
Christia

Psa. 95. &

150.

2. Reg. 6.

Socrat. l. 6

Hist. c. 8.

Christianorum morem fuisse Deum concinendo laudare. Quod etiam factis insinuat cū Corinthios, & Ephesios *1. corin. 14. Ephes. 5.* monet, vt se mutuo excitent in hymnis, psalmis, & canticis spiritualibus; Idem confirmat Chrysostr. super Isaiam; & rationem addit, *Chryso. in 8. ca. Isaiæ* cur populus vna cum clero canere destiterit. scilicet, eo quod subinde in voces dissonas erumperent, quæ tumultum & confusionem in ecclesijs causabant.

Vsus itaque cantus iam diu in ecclesia inueteratus est: sed quam ob causam? Respondeo ob varias, & inter ceteras maximè ad deuotionem in cordibus audientium excitandam: Omnes enim affectiones spiritus nostri inquit Augustinus, proprium suum sonum habent in voce, & cantu, ac occulta quadam familiaritate excitantur: & ipse de se testatur, quod cum hymnos, & cantica, & dulcisonantem cantum ecclesiæ Mediolanensis ab Ambrosio institutæ, & gubernatæ, audiuisset; adeo

*Aug. 10.
confer. 33.
& c. 9. cor.
fes. c. 5.*

com-

commotus fuerit, vt totus in lachrimas funderetur. Quæ ratio adeo firma, & solida est, vt alia opus non sit. Ideoque omisso cantu ad utilitates & commodâ, quæ ex officijs, & publicis ecclesie precibus manant, transeamus.

Utilitas

Horarum.

In primis itaque profunt hæc preces, vt per eas illi obligationi satisfaciamus, qua tenemur Deum laudare, eique de beneficijs, quæ nobis præstitit & quotidie singulis horis, ac momentis præstare non desinit, gratias agere. Secundò vt remissionem peccatorum quæ commisimus, & quotidie committimus impetremus: Tertio vt inimicos spirituales repellamus, & pericula quibus subiaceamus euadamus: sine precum enim auxilio nihil horum comòdè impetrari potest, sed ad hæc obtinenda oportet corde puro, & mûdo ad Deum semper orare. Verum quis est qui continuo oret, ac animam perpetuo à peccatis immunè habeat? non permittunt hoc tam naturæ humanæ necessitates, quam corruptiones. Oportet igitur huic malo publicis Ecclesie præcibus occurrere, quibus facilius debito satisfacimus, & citius

citius liberationem à malis corporis & spiritus impetramus: Hæ enim preces suo modo continuæ sunt, & fieri nequit, quin Deo gratæ & acceptæ sint, cum fiant ab Ecclesia, quæ est sponsa Christi tota pulchra, & in qua nulla peccati macula residet.

Ex quibus consequitur admodum se decipere, qui preces publicas, aut officia canonica damnât, aut contênet ob quosdâ, qui hæc ipsa minus deuotè persoluunt: Nam vt supra diximus, sicuti sacrificia malorum sacerdotû inutilia nō sunt, eo quod non in sua, sed Christi persona offerant: Ita similiter dicimus, officia diuina non desinere esse vtilia, licet ministri sint mali: non enim suo, sed Ecclesiæ nomine ea peragunt. Attendendum non est, quale sit organum quod ludit; sed qualis in eo, & quid: ita etiam non tam cantantem, quam quid qualiter, & cuius nomine cantet inquirere debemus: cessent itaque diuinis officijs detrahere; dicere non audeât in Ecclesia Dei tantû canonicorum, monachorum, ac monialiû numerum superfluum esse, qui omnes diuinis cātibus, precibus publicis, & offi-

*Necessitas
precum
Ecclesie.*

officijs canonicis, nocte dieque per-
soluēdis deuoti ac destinati sunt: Ne-
que enim eiusmodi homines Ecclesie
inutiles, sed tam pro salute corporis,
quam animarum pernecessarij sunt.
Quis enim ex populo Deo gratias a-
get? quis auxilia & subsidia huic vitæ
necessaria implorabit, cum totus po-
pulus negotijs secularibus occupatur,
nisi id fiat ab ijs, qui in hunc finem in-
stituti sunt. Quis pro peccatoribus,
qui infinitum numerum enormium
& execrabilium facinorum commise-
runt, exorabit? Nunquid non coelestis
ignis Sodomæ, & Gomorrhæ instar
eos inuolueret? nonne terra dehiscē-
te ab inferno absorberentur, nisi Ec-
clesiastici, & maximè omnium Ordini-
um Religiosi, & Religiosæ tanquam
vallum se opponerent, diu noctuque
supplicantes, vt iram suam contineat
Deus, & peccantibus pœnitendi tem-
pus concedat? Quis diaboli laqueos,
quos terra marique etiam in aëre ten-
dit euadet, nisi eos habeat adiutores,
qui continuis suis orationibus, hos
laqueos conterant, tantaque pericula
& mala impendentia auertant? Mira-
mur

mur aliquādo fructuū abundantia, hominū sanitatē, peccatorū cōuersionē, eorū qui in periculis erant liberationē, quia nescim⁹, q̄ fertilitas, sanitas, peccatorū cōuersio, de malis liberatio, cōtinuis Ecclesiasticorū sacrificijs, & orationib. nō solūijs, quas nocturnis & diurnis horis p̄soluere dixim⁹, sed quas singulis horis, & momentis Deo offerūt. Mirabitur forte aliquis, quomōdo homo singulis horis & momentis possit orare, Deoq; sacrificium immolare? Cui vt fatis faciā, eū supponere velim terrā rotundā esse, ac solē viginti quatuor horarū spatio, eā totaliter circuire, ita vt semper, & successiue vna medietate illuminata altera tenebris innoluarur, ita vt cū hoc loco mane est, alibi vesperā sint; & quando apud nos sol in meridie lucet, ex opposito media nox dominatur. Hoc itaque supposito, cū in omni penē orbis parte Christiani sint, Ecclesię & sacerdotes aliq; Ecclesiast. ordinis hōies, qui diuinis seruitijs mācipati sunt, sequitur quod vno cessante à celebratione missarū, diuiniq; officij, alius alibi eadē resumatur, & inchoet, ita vt sicut sol

nun-

Preces Ecclesie continue peraguntur.

nunquam à motu cessat, ita nec Ecclesia vnquam à precibus desistit; tā enim antidotum, quam nostra sacrificia & preces totius Ecclesiae sunt.

Iucunditas diuinorum officiorum.

Confiteamur itaque institutionem diuinorum, officiorum sanctissimam esse: dicamus eam magnam cōsolationem, & spiritualementem lātitiā Christianis apportare, quam singulis diebus maximē festiuis timoratae conscientiae experiuntur. His enim diebus, cū Domino famulus, relicta officina, & sepositis mechanicis operibus, decentissimē vt possunt vestiti ad sacrum audendum pergunt. Ecclesiastici autem templa tapetibus vestiunt, pulcherrimis paramentis exornant, aureis, argenteisque vasis ditāt; & si anni tempus est, viridante fronde, aut odorifero flore conspergunt, campanas graue mugientes pulsan, minoribus modulātur, vt ad diuinum officium plebem conuocent, congregato autem populo, solita hora sacerdotes, alijq; officarij singuli eius formae, ac coloris sacris vestibus induti, quales eorum officium & festi ratio exigit, de sacrificia egrediuntur: chorum ingressi suauium

cum

cum modulatione illius diei officium inchoant, ac decantare incipiunt, intermixtis nonnunquam organis, & alijs musicis instrumentis. Exin Sacerdos assistentibus sibi Diacono, & Subdiacono, cum minoribus ministris missam auspiciatur, chorum tantum prosequente, & respondente, & denuo voces & organa suavi, & quasi diuina melodia resonant. Quis autem dicet nobis quantos fructus, quantumque spirituales lætitiæ, talis festiua celebritas in montibus eorum, qui piè huic sacrificio interfunt generet? Ego sane dicere audeo, nihil esse, quod nos æquè ad contemplationem, & desiderium cœlestium excitet: Tēpla enim modo quo diximus exornata, paradysum quendam nobis representant: homines autem, qui hæc officia peragunt in terra, angelos & sanctos similia munia in cœlis obeuntes designant. Hinc est quod quidam Missam audientes à terrestribus longè abstracti, in cœlestia toto animi impetu, & sanctis desiderijs ferantur: Hinc est quod alij diutius se in hoc miserabili mundo detineri conquerantur, & cum

& cū Apostolo dicant, *Cupio dissolui & esse cum Christo*. Si enim Musica & humanarū vocum cōcentus eos tantopere delectat, quantum putatis Angelorum harmonia afficientur? Dubium non est, quin existiment à nullo in hac mortali peregrinatione degente, gaudium illud capi posse, multo minus explicari.

Iterum itaque dico & repeto Institutionem diuinorum officiorum, ac Horarum canonicarum non solum in Ecclesia antiquissimam esse, sed etiam eiusdem filijs vtilissimam, & iucundissimam esse. Et sicut ex eo Pietas, & charitas eorum, qui bona sua procurationibus diuinorum officiorum impenderunt elucet: ita etiam eorum impietas ac auaritia detestanda venit, qui hæc bona sibi vsurpant, ac ita fundationes piorum hominum euertunt, diuinaque seruitia ad hominum consolationem instituta annullant.

Qui bona sua Ecclesijs donant aut donarunt, vt in ijs diuina officia celebrētur, Deum honorant & prosperitatem huius vitæ, ac gloriam futuræ merentur.

*Bonum est
bona sua
Ecclesie
largiri.*

tur. Qui autem ea rapiunt, aut rapue- *Pessimus*
 runt Deum inhonorant, & in hac vita *rapere.*
 aduersitates; in futura autem perpe-
 tuam confusionem promerentur.
 Pauculis verbis id testatur Deus, cum
 ait, *Quicumque glorificauerit me glori-*
ficabo eum, qui autem contemnunt me e-
runt ignobiles. Si autem quis hæc in ex- *1 Reg. 2*
 emplis intueri desideret, pauca nota-
 bo, cætera lectoris diligentia relin- *2 Mach. 3*
 quens: legimus in libro Machabeo-
 rum quomodo Heliodorus ad Tem-
 plum Ierosolimitanum spoliandum
 missus, animo sacrilegam suam com-
 missionem explendi ingressus sit, quæ
 duo angeli medium arreptum, ad ne-
 cem pene flagellarunt, imò interfe-
 cissent, nisi Onias summus Sacerdos
 pro eo intercessisset. Nabuchodonosor
 qui templum Salomonis euerterat, & *Dans 1.*
 sacra vasa in babylonem transuexerat *4*
 ab hominibus eiectus est, & inter be-
 stias, vt bos fenum comedit. Filius *ibid. 5*
 eius Baltasar solemne epulum cele-
 brans iam temulentus iussit inferri
 vasa aurea, & argentea, quæ pater
 suus de templo rapuerat: cum au-
 tem ex ijs bibisset, apparuit manus
 in pa-

in pariete scribens, *Mane, Thecel, Phares*, id est, appensus es in scatera, & inuentus es minus habens propterea diuidetur regnum tuum, & dabitur Persis & Malis; quod impletum fuit: nocte enim insequente eum diem, quo vasa polluerat, interfectus est, & regnum ad Darium Medum peruenit. Antiochus, cum misera morte in exteris regionibus interiret, cognouit hoc infortunium sibi euenire, eo quod argentum & aurum Deo sacrum abstulisset: Hæc & multa alia, quæ sciens prætereo, ex libris veteris testamenti habentur; addam aliqua ex scriptis Patrum, & historijs desumpta. Narrat Chrysostr. & post eum Theod. & Nicephorus Iulianum auunculum Iuliani apostatæ, eo quod Ecclesias, quas piissimus ac deuotissimus Imperator Constantinus liberaliter dotauerat, spoliasset, intestinorum mirabili dolore, nullo medicorum aut chirurgorum adiuuante auxilio, mortuum esse, referunt eidem, de duobus alijs Iuliani Quæstoribus, domino suo in sacrilegys fidelem operam nauantibus; quorum vnus felix nomine, subito disrup-

Matth. 6.

Chrysostr.

Hom. 4.

in Matth.

Theod. l. 3

c. 11. & 12

Niceph. l.

10. hyst. ca.

20.

pta vana aliqua simul cum sanguine animam euomuit: Alter autem Elpidius dictus, licet tam subito diuinam iram non senserit, neutiquam tamen Dei manum euasit; nam carceri inclusus in summa miseria, & infamia vitam finiuit: Possent hic multa alia exempla adduci, sed frustra in preteritis laboramus, cum praesens seculum multo plura, quam desideramus, exhibeat. Neque enim puto vllum eum fuisse, quo Simoniae confidentius, rapinae bonorum Christi crucifixi securius, & cum maiore impunitate contigerint, quam hoc in quo viuimus; adeoque mirum non est, si tot nobilissimas stirpes exterminatas, ditissimas familias ad extremam pauperiem redactas videamus, quot nunquam alias. Deus enim in caeterorum terrorem, & ad reprimendam aliorum Auaritiam, rapinam bonorum suorum, tam seuerè vindicat. Sed illud saeculi nostri infortunium est, quod plurimi hoc ignorant, aut si sciant imperare sibi nequeant, ut officia, beneficiaue, quae iniuste occuparunt dimittant, imò quod peius non desunt qui dicant hoc

hence

beneficia, & eorum fructus sibi deberi, eo quod à parentibus suis instituta sint: Verum hi palliato prætextu sibi blandiuntur, quos Deus æquè ac sacrilegos puniet: Repetebat

4. Reg. 12.

Ioas rex Iuda thesauros, quos ipse & sui prædecessores in templo Dei obtulerant, quo scelere tantam suorum, & Dei iram in se concitavit, ut conpiratione facta eum interemerit. Ananias & Saphyra particulam solum eorum, quæ Deo dicarant sibi reseruant, & in pœnam vterque mortuus ad pedes Petri concidit. Qui itaque tales imitantur, eorum exitum perpèdant, sibiq; caueant, ne in similem punitionem incidant.

Acto. 5.

Illi autem, qui diuinis mysteriis sunt dedicati, maxima cura & sollicitudine studeant ea explere, memores se in terris idem seruitium Deo præstare, quod ei in coelis ab angelis exhibetur: & cum beneficium propter officium conferatur, qui suo officio perperam funguntur, digni non sunt, qui beneficio fruantur.

Aduertendum autem est, sicut illis liberum non est aliquid de diuino

offi.

officio diminuere, ita neque licitum esse aliquid addere, maximè si *Case. Tri.* lasciuiam sapiant, sine ea voce, seu *de Sacrif.* organis canantur, vt iustissimè & *Miss.* expressissimè à Conc. Tridentino prohibetur, cum etiam antiqui nimiam curiositatem in cantu vitandam esse duxerint. Ideoq; Hieron. super illud Apostoli, *canentes & psallentes in cordibus* *Hier. in e.* *uestris*, ait, Ne ore tantum verba Dei *s. ad Ephe.* resonemus; nam vt alibi ait Apostolus, *Psallam spiritu, psallam & mente.* quod sane desiderabat Augustinus, cum diceret, *cum mihi accidit, vt me* *Aug. l. 10.* *amplius cātus quam res qua canitur mo* *conf. c. 33.* *ueat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc malle audire non cantantem.* Atque hec ministros & cantores in diuino officio peragendo concernunt.

Ratio autem naturalis dicitur, tum propter fructum, tum propter solatium, quod ex diuinis officijs precipitur plebem obligari his officijs quoties eis possibile erit interesse; maximè autem Dominicis & festis diebus, ibiq; omisso lusu, alijsque nugis in summo silentio cum debita reuerentia assistere. *Supra cum de Ecclesia agerem*

V 2

EX AU.

ex Augustino, & Beda docui, quantum Deo displiceant, qui in templis male se gerunt: Non tamen omitram hic quorundam Patrum sententias contra garrulos, aliosq; diuina officia in-

*Basil ho. 6
in Psa 28.
Chrys. ho.
33. in 10.
matth.*

terurbantes proferre. Psalmista inquit Basilius, *canit, in templo tuo omnes dicent gloriam, & tu non dicis sed dicentes impeas?* & Chrysoftomus. *Domus prisco temporalibus ECCLESIAE erant, nunc ipsa etiam Ecclesia in domum redacta est, ob garrulitatem, scilicet & fabulas, quæ in ea non aliter, ac pro-*

*Ambr. l. 7.
de virgin.*

fana domo exercebantur, ut in sequentibus declarat. Ambrosius autem ait, Maxima virtus est tacendi, maxime in Ecclesia: An quicquam est indignius, quam oracula diuina circumstrepere, ne audiantur, cum gentiles idolis suis reuerentiam tacendo deserant? unde illud exemplum proditur, Alexandro Macedonum Rege sacrificante puerulum barbarum, qui ei lumen accenderat ignem brachio excepisse, & adusto corpore mansisse immobilem: nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito poenam indicasse fletu: Tanta fuit in puero barbaro disciplina reuerentia, ut naturam vinceret, atq; ille

non

non deos, qui nulli erant, sed regem timebat, frequens sermo est cum plurima ranarum insurmura auribus religiosa plebis obstreperent, sacerdotem Dei praecepisse, ut conticerent ac reuerentiam sacra deferrent orationi: tunc subito circumfusos strepitus quieuisse. Silent igitur paludes, homines non silebunt. Huc usque Ambrosius, quibus nos docet cauendum esse sonitum, aut fabulas in Ecclesijs excitare, maximè cum diuina officia peraguntur. Hanc itaque Ambrosii doctrinam sequamur, templum adeamus, diuina mysteria, quae ibi celebrantur attentè audiamus: id qui faciunt diuinorum beneficiorum se memores esse ostendunt, & ob hanc gratitudinem obtinent consolationem, & fructus, quos de celebratione diuinorum officiorum promanare diximus, adipiscuntur. Illi autem, qui pro templis ludos visitant, & tempus hoc praecipuè festiuum iocis, ac recreationibus insumunt, aut in Ecclesia existentes garrunt, aliaque loco sacro indigna faciunt, erga Deum ingratos se ostendunt, & ob hanc suam ingritudinem digni sunt, qui maximè suo malo sacrificio, ac praecum commodis, meritisque priuentur.

Conclus.